

vit : et tetigit carnem, respexit ad Verbum : « Quia Verbum » caro factum est, et habitavit in nobis. » Verbum hoc passum est carnem suam suspendi in ligno : Verbum hoc passum est in carne sua clavos figi : Verbum hoc passum est carnem suam lancea transforari : Verbum hoc passum est carnem suam in sepulcro poni : Verbum hoc resuscitavit carnem suam, obtulit aspectibus Discipulorum videndam, præbuit manibus contrectandam. Tangunt, exclamant : « Dominus meus et Deus meus. » Iste est dies quem fecit Dominus.

SERMO CCLIX¹.

In die Dominico octavarum Paschæ.

I. HODIERNUS dies magno sacramento perpetuæ felicitatis est nobis. Non enim sicut iste dies transiturus est, sic transitura est et vita, quam dies iste significat. Itaque, fratres, exhortamur et obsecramus vos in nomine Domini nostri Jesu Christi, per quem nobis peccata dimissa sunt, qui voluit pretium nostrum esse sanguinem suum, qui nos indignos qui vel servi ejus diceremur, fratres facere dignatus est, ut omnis intentio vestra, quare Christiani estis, et nomen ejus in fronte et in corde portatis, non dirigatur nisi ad illam vitam, quæ nobis cum Angelis est futura : ubi perpetua quies, sempiterna lætitia, indeficiens beatitudo, nulla perturbatio, nulla tristitia, nulla mors. Quam vitam nosse non possunt, nisi qui experiuntur : experiiri

¹ Alias ex Sirmondianis 19.

autem non poterunt, nisi qui credunt. Si enim exigatis, ut quod vobis promittit Deus, demonstremus vobis, non possumus. Sed audistis quomodo conclusit Evangelium Joannis : « Beati qui non vident, et credunt¹. » Et videre vultis, et ego. Pariter credamus, et simul videbimus. Non simus duri adversus verbum Dei. Numquid enim, fratres, dignum est, ut Christus descendat modo de cœlo, et cicatrices suas nobis ostendat ? Ideo illi incredulo ostendere dignatus est, ut objurgaret dubios, et instrueret credituros.

II. Octavus ergo iste dies in fine sæculi novam vitam significat : septimus quietem futuram sanctorum in hac terra. Regnabit enim Dominus in terra (6) cum sanctis suis, sicut dicunt Scripturæ, et habebit hic Ecclesiam, quo nullus malus intrabit, separatam atque purgatam ab omni contagione nequitiae ; quam significant centum-quinquaginta-tres illi pisces, de quibus jam, quantum memini, aliquando tractavimus. Nam Ecclesia hic primo apparebit in magna claritate et dignitate et justitia. Non ibi libebit decipere, non mentiri, non sub ovis pelle lupum latere. « Veniet enim Dominus, sicut scriptum est, et illuminabit » abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes » cordium : et tunc laus erit unicuique a Deo². » Iniqui ergo non ibi erunt : jam enim separabuntur. Tunc tanquam massa purgata apparebit, veluti in area, multitudo sanctorum, et sic mittetur in horreum cœleste immortalitatis. Sicut enim frumentum prius ubi tritatur, ibi purgatur ; et locus ubi frumenta pertulerunt tritaturam, ut a palea mundarentur, decoratur dignitate massæ purgatæ. Videmus quippe in area post ventilationem, acervum palarum ex una parte, et acervum frumenti ex alia. Quo autem palea destinata sit, novimus ; et quemadmodum agricolis

¹ Joan. xx, 29. — ² 1 Cor. iv, 5.

faciant frumenta lætitiā. Quomodo ergo apparet in area prius frumentum a palea separatum, et cum gaudium fecerit post tantos labores inspecta illa congeries, quæ latebat in palea, quæ non videbatur, quando triturbatur; deinde in horreum mittitur, atque in secreto servatur: sic in isto sæculo, videtis quomodo triturbatur hæc area; sed palea frumento ita permixta est, ut difficile discernatur, quia nondum ventilata est. Sic ergo post ventilationem diei iudicii apparebit massa sanctorum, fulgens dignitate, præpotens meritis, et misericordiam liberatoris sui præ se gerens. Et ipse erit septimus dies. Quasi primus dies sit in toto sæculo tempus quod est ab Adam usque ad Noë, secundus a Noë usque ad Abraham, et quomodo jam dividit Evangelium Matthæi, tertius ab Abraham usque ad David, quartus a David usque ad transmigrationem in Babylo-niam, quintus a transmigratiōe usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi¹. Ab adventu ergo Domini sextus agitur, in sexto die sumus. Et ideo quomodo formatus est homo in Genesi sexto die ad imaginem Dei², sic et in isto tempore, quasi sexto die totius sæculi, renovamur in baptismo, ut recipiamus imaginem Conditoris nostri. Sextus autem dies iste cum transierit, veniet requies post illam ventilationem, et sabbatizabunt sancti et justi Dei. Post septimum autem, cum apparuerit in area dignitas messis, fulgor, meritumque sanctorum, ibimus in illam vitam et in illam requiem, de qua dictum: « Quia oculus » non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se³. » Tunc velut ad caput reditur. Quomodo enim cum peracti fuerint isti septem dies, octavus ipse est qui primus: sic post terminatas et peractas ætates septem sæculi transeuntis, ad illam immortalitatem beatitudinemque rediemus, de qua

¹ Matth. 1, 1-17. — ² Gen. 1, 26. — ³ 1 Cor. 11, 9.

lapsus est homo. Et ideo octavæ complent sacramenta infantium. Hinc et ipse septenarius numerus septies multiplicatus facit quadraginta-novem; et addito uno tanquam reditur ad caput, et fiunt quinquaginta: qui numerus a nobis usque ad Pentecosten in mysterio celebratur. Qui etiam secundum illam divisionem quadagesimi numeri, cui accedit tanquam merces denarius, diversa ratione idem rursus apparet. Ambæ quippe rationes ad eundem quinquagenarium numerum redeunt. Qui ter multiplicatus propter mysterium Trinitatis, facit centum-quinquaginta. Addito quippe ipso ternario, tanquam teste atque indice triplicationis et Trinitatis, intelligimus Ecclesiam in illis piscibus centum-quinquaginta-tribus.

III. Sed interim modo, donec veniamus ad illam requiem, isto tempore quo laboramus, et in nocte sumus, quandiu non videmus quod speramus, et in eremo iter agimus, donec ad Jerusalem cœlestem, veluti ad terram promissionis fluentem lac et mel, veniamus: nunc ergo cum tentationes non cessant, bene operemur. Medicina semper adsit, veluti prope quotidianis adhibenda vulneribus. Est autem medicina in bonis operibus misericordiæ. Si enim vis impetrare misericordiam Dei, esto misericors. Si tu negas homini, cum tu homo sis, humanitatem, negabit tibi et Deus divinitatem, hoc est, incorruptionem immortalitatis, qua nos facit deos. Non enim a te quidquam indiget Deus: tu autem indiges a Deo. Nihil a te ille petit, ut beatus sit: tu autem, nisi ab illo accipias, beatus esse non poteris. Quid ab illo accipis? Nescio utrum auderis conqueri si ab illo, qui omnia condidit, acciperes aliquid quod excellentissimum condidit. At ille non aliquid ex iis quæ condidit; sed se ipsum tibi dat ad fruendum, se ipsum omnium conditorem. Quid enim ex iis quæ facta sunt ab illo, pulchrius et melius potest esse eo qui fecit?

Et quomodo tibi dabit, an quasi meritis tuis? Si quæris quid merueris, attende peccata tua: audi sententiam Dei in transgressorem hominem latam: « Terra es, et in terram » ibis¹. » Quoniam comminatio præcessit, cum præceptum daretur: « Qua die tetigeritis, morte moriemini². » Si peccatorum meritum quæris, quid occurrit nisi supplicium? Obliviscere ergo merita tua, ne tibi faciant in corde terrorem: aut noli potius oblivisci, ne per superbiam repellas misericordiam. Commendamus nos, fratres, Deo operibus misericordiæ. « Confitemini Domino, quoniam bonus, » quoniam in sæculum misericordia ejus³. » Confitere, quoniam habet Deus misericordiam, et vult peccata donare confessis. Sed offer illi sacrificium. Miserere hominis homo, et tui miserebitur Deus. Tu homo, et alter homo, duo miseri. Deus autem non est miser, sed misericors. Si autem miser non miseratur miserum, quomodo exigit misericordiam ab illo qui nunquam erit miser? Videte quid dicam, fratres. Quicumque est contra naufragum crudelis, verbi gratia, tandiu crudelis est, donec contingat illi naufragium. Si autem contigerit, recordatus in pristinam vitam, quando viderit naufragum, percutit illum similis aliquando miseria; et quem non poterat ad misericordiam flectere societas humanitatis, flectit consortium calamitatis. Servo quam cito miseretur, qui aliquando servivit. Mercenarium mercede fraudatum quam cito dolet, qui mercenarius fuit. Homini filium suum plangenti amarissime compatitur, qui aliquando tale aliquid planxit. Ergo quantamvis durtiam cordis humani solvit similitudo miseriæ. Si ergo tu, qui aut miser fuisti, aut times ne miser sis: (quandiu enim hic vivis, et timere debes quod non fuisti, et meminisse quod fueris, et cogitare quid sis:) positus ergo et in memoria præteritarum miseriarum, et in timore futurarum, et afflic-

¹ Gen. iii, 19. — ² Id. ii, 17. — ³ Psal. cv, 1.

tione præsentium, non misereris calamitosi hominis et egentis ope tua, et expectas ut misereatur tibi ille, quem nunquam tangit miseria? Et tu non das ex eo quod a Deo accepisti: et vis ut det tibi Deus ex eo quod a te non accepit.

IV. Misericordiam, fratres mei, omnes qui ituri estis ad domos vestras, et ex hoc vix nos videbimus, nisi per aliquam solemnitatem, misericordiam operamini, quia abundant peccata. Alia requies, alia via non est, qua perveniamus ad Deum, qua redintegremur, qua conciliemur ei, quem periculosissime offendimus. Venturi sumus in conspectum ejus: loquantur ibi pro nobis opera nostra; et ita loquantur, ut superent offensiones nostras. Quod enim amplius fuerit, hoc obtinebit, vel ad pœnam, si peccata meruerint; vel ad requiem, si opera bona. Misericordia autem gemina est in Ecclesia: una in eo titulo, quo nemo impendit pecuniam, nemo etiam vel laborem; altera quæ de nobis exigit aut officium operis, aut impendia pecuniæ. Illa quæ a nobis exigit nihil erogationis vel laboris, in animo constituta est, ut ignoscas ei qui in te peccavit. Ad hanc eleemosynam impendendam thesaurus tuus in corde tuo est: ibi te explicas coram Deo. Non tibi dicitur: Profer sacculum, aperi arcam, resigna horreum: neque hoc tibi dicitur: Veni, ambula, curre, festina, intercede, loquere, visita, labora. Stans uno loco projecisti de pectore tuo quod tenes contra fratrem tuum, fecisti misericordiam, nullo sumptu, nullo labore, sola bonitate, sola misericordiæ cogitatione. Nam si dicamus: Erogate res vestras pauperibus; duri videbimur. Certe vel nunc lenes et faciles sumus, quando dicimus: Impendite unde nihil minuatis, dimittite ut dimittatur vobis. Dicamus tamen etiam istud: Date et dabitur vobis. Conjunxit hæc Dominus in præcepto, et ista duo misericordiæ genera expres-

sit. « Dimittite, et dimittetur vobis : » misericordia est ignoscentis. « Date et dabitur vobis¹ : » misericordia est erogantis. Vide si non amplius Deus dat nobis. Tu ignoscis homini, in quo te læsit homo hominem : ignoscit tibi Deus, in quo offendisti homo Deum. Numquid enim hoc est hominem lædere, quod est Deum offendere? Ergo plus tibi dedit : quia tu hoc dimisisti, in quo homo læsus est ; hoc ille dimittit, in quo Deus offensus est. Attendite aliam misericordiam dispensationis. Tu das panem, ille dat salutem ; tu das sitienti poculum liquoris alicujus, ille tibi dat poculum sapientiæ suæ. Numquid ista vel comparanda sunt, quod das, et quod accipis? Ecce quomodo fœnerandum est. Si quis vult esse fœnerator, omnino non prohibemus : sed illum fœneretur, qui non sit pauper plura et majora reddendo, et cujus est etiam hoc ipsum qualecumque quod ei das, ut amplius meliusque recipias.

V. Illud etiam moneo Sanctitatem Vestram, ut sciatis eum duplam misericordiam facere, qui pauperibus sic dat aliquid, ut ipse eroget. Non enim debet esse sola benignitas largientis, sed et humilitas ministrantis. Nescio quomodo, fratres mei, animus ejus qui porrigit pauperi, velut communi humanitati atque infirmitati compatitur, quando ponitur manus habentis in manum indigentis. Quamvis ille det, ille accipiat, conjunguntur minister et cui ministratur. Non enim jungit nos calamitas, sed humilitas. Abundantia vestra erit vobis, si Domino placet, et filiis vestris. Sed de ista terrena abundantia nulla mentio est, quam videtis obnoxiam tantis casibus. Jacet in domo thesaurus quietus, Dominum quietum esse non sinit. Timetur latro, timetur effractor, timetur servus infidelis, timetur vicinus malus et potens. Quanto plus te-

¹ Luc. vi, 38.

netur, tanto plus timetur. Si autem erogas Deo in pauperes, non perdis, et securus efficeris, quia ipse Deus custodit tibi in cœlo, qui et tibi necessaria dat super terram. An forte times, ne perdat Christus quod illi commendaveris? Nonne dispensatorem unusquisque eligit de familia sua fidelem, cui committat pecuniam suam? Qui etsi habet in potestate non auferre, non tamen habet in potestate non perdere. Quid fide Christi prolixius? quid omnipotentia divinius? Nec auferre tibi aliquid potest, quia ipse dedit tibi spe quod illi dares : nec aliquid perdere, quia universa omnipotens tenet. Reficitis viscera, quando agapes facitis. Quia videmur nos ministrare, et nostra dantur, et per nos dantur ; et tamen ea dantur, quæ nobis Deus dedit. Bonum est, fratres, etiam manu vestra dispensetis : valde gratum est Deo. Ipse accipit, et dabit tibi, qui ante tibi quam deberet quod dares dedit. Debet erogationis officio conjungi ministrationis officium. Cum tibi liceat duas mercedes habere, quare perdis unam? Sed quisquis minus idoneus est omnibus dare, det pauperibus pro viribus, cum hilaritate. « Hilarem autem datorem diligit Deus¹. » Omni pretio comparandum propositum est regnum cœlorum. Non est ut dicat aliquis habens duos denarios, idoneum se non esse ad comparandum. Tanto evangelica illa vidua comparavit².

VI. Peracti sunt dies feriatum (7), succedent jam illi conventionum, exactionum, litigiorum : videte quomodo in his vivatis, fratres mei. De vacatione dierum istorum mansuetudinem debetis concipere, non jurgiorum consilia meditari. Sunt enim homines, qui propterea vocaverunt per dies istos, ut cogitarent malitias, quas exercerent post dies istos. Petimus vos, ut ita vivatis, tanquam qui Deo rationem reddituros vos sciatis de tota vita, non

¹ 2 Cor. ix, 7. — ² Luc. xxi, 2.

de solis istis quindecim diebus. Deinde Scripturarum quæstiones, quas hesternæ die proposui, et angustia temporis impediende non solvi, fateor me debere. Sed certe, quia dies qui sequuntur jam exactiones etiam pecuniæ permittunt jure forensi et publico, hoc a me potius vos exigite jure christiano. Modo enim omnes solemnitatis gratia veniunt: post istos dies amor legis adducat a me exigi quod promisi. Qui enim dat, per me dat vobis: ipse utique dat omnibus nobis. Novi quippe Apostolum dicentem: « Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, » cui vectigal vectigal, cui honorem honorem, cui timorem timorem: nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis¹. » Sola dilectio est semper reddenda; nemo a tali debito alienus est. Quod enim debeo, fratres, in nomine Domini redditurus sum. Sed fateor vobis, non officio segnibus, sed exigentibus reddo.

SERMO CCLX².

Habitus eodem die in ecclesia Leontiana, de monitis baptizatorum.

NE moras faciamus, acturi multa, regeneratis in baptismo, qui hodie miscendi sunt populo, brevis, sed gravis Sermo reddendus est. Vos qui baptizati estis, et hodie completis sacramentum octavarum vestrarum, breviter accipite et intelligite translata fuisse figuram circumcisionis carnis, ad circumcisionem cordis. Die octavo cir-

¹ Rom. xiii, 7, 8. — ² Alias de Diversis II.

cumciduntur carne secundum veterem Legem: et hoc propter Dominum Christum, qui post diem septimum sabbatorum, octavo Dominico resurrexit. Cultellis petrinis jussum est circumcidi: « Petra erat Christus¹. » Infantes appellamini, quoniam regenerati estis, et novam vitam ingressi estis, et ad vitam æternam renati estis, si hoc quod in vobis renatum est, male vivendo non suffocetis. Reddendi estis populis, miscendi estis plebi fidelium: cavete ne imitemini malos fideles, imo falsos fideles quasi confitendo fideles, sed male vivendo infideles. Videte, quia testificor vobis coram Deo et Angelis ejus: castitatem servate, sive conjugalem, sive omnimodæ continentiæ. Quisque quod vovit reddat. Qui non habetis uxores, licet vobis ducere uxores, sed quarum mariti non vivunt. Fœminæ quæ non habent viros, licet eis nubere, sed eis viris quorum uxores non vivunt. Qui habetis uxores, nihil mali faciatis præter uxores. Reddite quod exigitis. Fides vobis debetur, fidem debetis. Fidem debet maritus uxori, uxor marito; ambo Deo. Quicumque continentiam vovistis, reddite quod vovistis: quia non exigeretur, si non vovissetis. Quod potuit licere, non licet: non quia nuptiæ damnantur, sed qui retro respicit damnatur. Cavete a fraudibus in negotiis vestris. Cavete a mendaciis et perjuriis. Cavete a verbositate et luxuria. Quæcumque non vultis fieri vobis, nolite facere aliis, et hominibus et Deo. Quid vos onerem? « Hæc agite, et Deus pacis erit vobiscum². »

¹ 1 Cor. x, 4. — ² Philip. iv, 9.